



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De immensa charitate Patris æterni ad genus humanum, 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

Sic enim dilexisti mundum, ut unigenitum tuum dares: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hac est autem vita æterna, ut cognoscamus te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, per fidem rectam, & condigna fidei opera.

CAPVT XV.

*De immensa charitate Patris æterni ad
genus humanum.*

I. **O** Immensa pietas, ô inæstimabilis charitas! ut liberares seruum, filium tradidisti. Deus factus est homo, ut perditus homo, de potestate dæmonum erueretur. Quam benignissimus amator hominum, filius tuus Deus noster, cuius piis visceribus non satis visum est, ut se inclinaret factus homo de Virgine Maria, nisi etiam subiret crucis supplicium effuso sanguine propter nos, & propter nostram salutem. Venit pius Deus, venit pro pietate & bonitate sua, venit quærere & saluum facere, quod perierat. Quæsivit ovem perditam, quæsivit & invenit, & humeris suis reportavit ad caulas gregis pius Dominus, & vere multum pius Pastor.

2. O charitas, ô pietas! Quis audivit talia? Quis super tanta misericordix viscera non obstupescat? Quis non miretur? Quis non collatetur propter nimiam charitatem tuam, qua nos dilexisti? Misisti filium tuum in similitudinem carnis peccati; ut de peccato damnaret peccatum, ut nos efficeremur iustitia

tia

fia tua in ipso. Ipse enim verus est agnus immaculatus, qui abstulit peccata mundi: qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.

3. Sed quid tibi retribuere possumus Deus noster, pro tantis beneficiis misericordiae tuae? Quas laudes, quasve gratiarum actiones? Etiam si illa beatorum Angelorum scientia & potentia nobis foret, nihil tamen dignum tantae pietati & bonitati tuae recompensare valeremus. Si certe omnia membra nostra verterentur in linguas, ad rependendum tibi debitas laudes, nequaquam sufficeret exiguitas nostra: supereminet enim omnem scientiam tua inæstimabilis charitas, quam ostendisti nobis indignis pro sola bonitate & pietate tua. Filius namque tuus Deus noster, non Angelos, sed semen Abrahae apprehendit, assimilatus nobis per omnia absque peccato. Humanam itaque, non angelicam suscipiens naturam, & eam stola sanctae resurrectionis & immortalitatis glorificans, vexit super omnes caelos, super omnes choros Angelorum, super Cherubim & Seraphim, collocans ad dexteram tuam. Hanc autem laudant Angeli, adorant Dominationes, & omnes Virtutes caelorum tremunt super se hominem Deum.

4. Haec nempe mihi tota est spes omnisque fiducia. Est enim in ipso Iesu Christo Domino nostro uniuscujusque nostrum portio, caro & sanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur,

C

ibi

ibi gloriosum me esse cognosco. Vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio. Quamvis peccator sim, de hac communione gratiæ non diffido. Et si peccata mea me prohibent, substantia mea requirit. Et si delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis est Deus, ut obliviscatur hominis; & non meminerit ipsius quem ipse gestat, & quem mei causa suscepit: ejus, quem mei causa requirit.

5. Mitis vero & valde benignus est Dominus Deus noster; & diligit carnem suam, membra sua, & viscera sua. In ipso Deo & Domino nostro Iesu Christo dulcissimo, benignissimo atque clementissimo, in quo resurreximus, & jam cœlos ascendimus, & jam cœlestibus consedemus, caro nostra nos diligit. Habemus autem sanguinis nostri prærogativam in ipso. Sumus autem membra ejus & caro ejus. Ipse denique est caput nostrum, ex quo totum corpus, sicut scriptum est: Os ex ossibus meis, & caro de carne mea: & erunt duo in carne una. Et nemo unquam carnem suam odio habet, sed fovet & diligit eam. Mysterium hoc magnum est; ego dico in Christo, & in Ecclesia (ait Apostolus.)

CAPVT XVI.

*De duplici Christi natura, qui nobis misere-
tur, & pro nobis interpellat.*

1. **G**Ratias itaque ago labiis & corde, & omni qua valeo virtute, infinitæ misericordiæ tuæ, Domine Deus noster; pro
omni-